ILLUSTRISSIMO HEROI

DOMINO

MARCO GERARDO DE ROSENCRONE

LIBERO BARONI IN ROSENDAL

SUPREMI SENATUS MEMBRO

NEGOTIORUM EXOTICORUM PRÆSIDI
&c &c. &c.

DIEM NATALEM, XXV. MAII. MDCCLXXXIII

GRATULATUR

9.

HAVNIÆ.

Landsbókasafn Íslands

Qva Dominus Boreæ tribuit pia præmia magnæ
Virtuti, Heroas auxit honore novo;
Luce ſub hac prodis, vitales natus in auras
MARCE decus Patriæ, nobilitatis honos.
Cingat io! victrix felicia tempora laurus
Lætitiæqve comes, ROSA dilecta Diis.
Utraqve erat lætis divum feſtiva triumphis;
Clara eſt Phoebeæ laurus honore comæ.
Cur ita? nam belli pacisqve negotia, fructus
Qvorum ſunt Lauri: Di tradidêre TIBI.
Et qvis TE neſcit Phoebi myſteria magni
Noſcere, & Aonidum linqvere nolle chorum.
Sic TVA par generi mens eſt, excelſa, paterno
Nec generi genius cedit, & ingenium.
Baccare cum lauro cingant TVA tempora Muſæ
His morbi cedunt, fulmen & inde fugit.
Sic TVA ROSA novo ſemper TE flore coronet:
Sic laudes numerent ſingula facta TIBI.